

VI
QUÆSTIO
Theologo · Politica,

26

An

HÆRETICUS
IGNI ET FERRO SIT
MANCIPANDUS.

*Methodo Oratoria conscripta, ac publicè in
cathedra, quod est Witteberga, majori,
recitata,*

à
M. JACOBO VVELLERO
Neukirchensi Varisco, S.S. Theol. Stud.

D. 6. Octobr. Anno 1507
clo 15 CXXVIII.



WITTEBERGÆ,
Typis AUGUSTI BORECK Acad. Typogr.





Magnificis, Prudentia, Nobilitate, Eruditione, omniq^{ue} Virtutum genere Clarissimis, Spectatissimis Viris

D. Jacobo VVelfero, Senatus Norimbergæ interioris.

Dn. Antonio Schmidmero, Magistro Equitum.

Dn. Friderico Schmidmero, Capitaneo.

Dn. Sigismundo Schmidmero, &

Dn. Johanni VVilhelmo Boxbergio,

Patriciis ac Civibus Urbis Norimbergæ Liberæ ac Imperialis, Celeberrimis,

Promotoribus, Fautoribus & Patronis meis Magnis, nullo non obsequio atq^{ue} observantia studio colendis,

*πάσαν πάσης ευκλείας,
ἰπύροισιν!*



Uamvis, Viri Magnifici, Con-
sultis. Nobiliss. Clariss. non ad-
eò verecundię limites transgres-
sus sim, quin subindè illud Euri-
pidis in Medęa; ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων ἀναίδεια,
item illud Atticę Veneris, Plauti nimirum:
Ego illū periisse duco, cui quidem periit pudor,
animo observetur: tamen pudore nōn nihil
seposito, non potui, quin munus hoc levi-
densę Vobis, quibus salus Reipubl. tanquam
Atlanti fortissimo incumbit, adeoq̄ue ora-
tione à Ciceronianis calamistris alienissimā,
negotium haud facessendum, offerrem ac
dedicarem, *Lege & Æquitate iubentibus, Æ-*
quum enim est, liceat ὅτε ἔργον ὡς ἔτε ἔργον facere, *ut*
studiorum fulcimento primitias etiam, si à
Deo Ter Opt. Max. cui omnia nostra, disces-
seris, offeras: & *Leges* quā divinę, quā hu-
manę volunt, *ut gratos,* quacunque possimus
ratione, *erga εὐεργέτας nos prębeamus,* siquidem
& ipse Pater ἀνδρῶν τε θεῶν τε gratus interpretaba-
tur molani salsam, si quis thure carebat,

A 2

in d



imò interdum casus subire non dubitabat.
Tu enim Nobilissime Dn. Boxbergi (ut Te
qui studiorum meorum prora es, primo et-
jam loco compellem), *fecisti, quò Schleusinga*
sub M. Jacobo Sorgero, & *Norimberga* sub
Johanne Vogelio, Viris & Eruditione & Piè-
tate morumq; decencia Clarissimis, Recto-
ribus vigilantissimis, quos honoris ergò no-
minavi, quum gens Vipperia, (ferant au-
res Vestrae accuratissimè doctæ ac valdè deli-
catæ barbarum hoc vocabulùm) Deo inimi-
ca, omnia occuparet, scholas turbaret, pau-
peres exterminaret, *fundamenta studiorum*
jacere potuerim. Vos verò, qui primum oc-
cupatis locum, *puppis estis & anchora*, quâ
innixus, studiis hucusque, quibus aliàs, quâ
haud facile emergat, cujus virtus paupertate
caligat, valedicendum fuisset, in altum,
utinam & ad portum! deducere potui. Quum
igitur & *Ἰνὶ ὑμῶν οἱ ἀγαθοὶ ἵστασι χάρειν* ut saniores di-
xere Ethnici, quidni & ego pro tantis? Ac-
cipite ergò Viri Magnifici, Consultis. Stre-
nuis.


nūis. Nobiliss. hoc quale quale grati animi
τελευτήσον ea, qua proficiscitur, mente. Quod
si feceritis Triphonis spelunca me exiisse,
imò omnes Syrtes ac scopulos evitasse, cla-
mabo. Valetè cum omnibus Vestris pro-
sperrimè, meque Vobis commendatum ha-
bete. Dabam V Vittebergæ, d. 6. Octobr.
Anno 1628.

MM. NN. CC. VV.

Subjectus Cliensac
Alumnus,

M. JACOBUS WELLERUS
Neukirchensis.

RE.



RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,
M. ERASMUS SCHMIDT
Delitianus, Græc. & Mathem.
Profess. Publ.

Civibus Academicis S. D.

Plè ac religiosè fulgentissimus ille Chri-
stianæ Reipublicæ Sol Augustinus ait, *Religionem esse*
propagandam, & hæreses exstirpandas docendo magis, quàm
jubendo; monendo magis, quàm minando; verbis potiùs, quàm
verberibus. Quia ut fides non hominis, sed solius DEI donum est;
ita quoque non humanis armis, sed duntaxat DEI gratiâ propa-
gari debet. Quandoquidem Religio (inquit Rex Theodore-
tus apud Cassiodorum) imperari non potest: quia nemo cogi-
tur, ut credat invitus. Quam in sententiam non minùs ve-
rè, quàm eleganter Theologus ille reconditæ eruditionis
laude, & eloquii Romani gloriâ insignis Lactantius Fir-
mianus: Non opus est, ait, vi & injuriâ; quia religio cogi non
potest: verbis potiùs quàm verberibus res agenda est, ut sit vo-
luntas. Longè diversa sunt carnificina & pietas: nec potest aut
veritas cum vi, aut justitia cum crudelitate conjungi. Defenden-
da enim religio est, non occidendo, sed monendo: non severitiâ sed
patientitiâ: non scelere, sed fide: illa malorum sunt, hæc bonorum.
Et necesse est, bonum in religione versari, non malum. Nam si
sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam

non

non defendetur illa, sed polluctur atq; violabitur. Nihil enim est tam voluntarium quàm religio: in qua si animus aversus est, iam sublata, jam nulla est. Meritò sanè oraculi instar habenda est incomparabilis illius Poloniæ Regis STEPHANI BATORIS sententia, quâ asserit, Tria sibi reservasse DEUM: ex nihilo aliquid facere: scire futura: & dominari velle conscientis. Quamobrem omnium seculorum memoriâ dignissimus Imperator MAXIMILIANUS II. dixisse fertur, Nullam esse majorem pestem Rempublicam administrantibus, quàm dominari velle conscientis, quæ imperandi ratio dira esset carnificina. Unde sapientissimè ac verissimè egregium illud Galliæ decus Jac. Aug. Thuanus: *Experientiâ, inquit, satis edocti sumus, ferrum, flammam, exsilia, proscriptiones, irritasse potius, quàm sanasse morbum menti inhaerentem: ad quem proinde curandum, non iis, quæ in corpus tantum penetrant, sed doctrinâ & sedulâ institutione, quæ in animum leniter instillata descendit, opus esse: alia quippe omnia pro arbitrio civilis Magistratus atq; adeò Principis sanciantur: sola religio non imperatur, sed ex præceptâ veritatis opinione, accedente divini Numinis gratiâ, bene preparatis mentibus infunditur. Ad eam cruciatus nihil valent, quin obfirmant potius animos, quàm frangunt aut persuadent. Quin imò ubi quis devotâ pietate ducitur, in eo nullum habent momentum vexatio & dolor; isque si vel in Phalaridis tauro peruratur, exclamabit: Dulce est, & ad me nihil pertinet. Facebat igitur impia atq; nefanda ex scholâ infernali hausta sententia improbissimi & impudicissimi illius Monachi Augustiniani Johannis Baptistæ Burgos, quâ statuit in oratione suâ horridâ de ratione hæreseon extirpandarum ad congregationem Concilii Tridentini Anno cl. Io LXII. habitâ, gladio & igne hæreticos:*



icos & seductores (eo scilicet honoris titulo cœlestis veritatis assertores appellavit) *extinguendos esse, illorum quoque bonis in fiscum redactis.* Id quod hodieque testatur abundè praxis perversissimæ ac sceleratissimæ cohortis Jesuitarum, qui nulla non facinora occultant sub larvâ religionis, qui- que crudelissimè vociferantur, Hæreticos, velut à pace Religionis exclusos, Vulcano mancipandos esse. Quo- rum opinio in Papatu passim moribus inducta sanioribus omninò crudelis & abominabilis semper visa fuit, utpo- te è diametro repugnans juri divino atq; humano. Quam in sententiam cùm satis multa, tum etiam exacta exspe- ctamus à Viro - juvene Humanissimo atqve Doctissimo, M. JACOBO WELLERO Neukirchensi Varisco, S S. Theol. Studio, qui de problemate illo satis gravi ac pon- deroso, AN HÆRETICUS SIT OCCIDENDUS, orationem contexit elegantem, eamque postea horâ II. in ἀνεγασθησ. Collegii FRIDERICI majore recitare constituit. Ad auscultationem ejus, quippe quæ argumento est insignis, & eloquio indiserta esse non potest, si studiosi juvenes fre- quentes atqve attenti conveniant; rem facient & nobis gratam, & se dignam, & vel ad alendam diligentiam, vel ad excitandam imitationem minimè infructuosam.

P.P. Wittebergæ Dominicâ XVI. post Trinitat.

Anno recuperatæ per Christum salutis

MD CXXIX.



Σὺν τῷ Θεῷ.



Optimè certè, Rector Magnifice, Viri
admodum Reverendi, Excellentissimi,
Consultissimi, Experientissimi, Cla-

*Mundus
confertur
homini
circa mor-
tem.*

rissimi, Fautores, Promotores ac Præ-
ceptores multis nominibus colendi, tuq; erudita
studiosorum corona perdelicta, Optimè, inquã, ut
omnia, ille, qui hominis nomen exsistit, ut aureæ Elo-
quentiæ indueret, divinus Chrysostomus, colluvi-
em hanc mundi extremam, homini in agone mor-
tis constituto, contulit. Tacebo enim, quod sicut
senex decrepitus, morti & capulo vicinus, & jam in
Proserpinæ, quod dicitur, peculio annumeratus,
omnibus nervis sapientiæ, artibusq; prudentiæ de-
stitutus, nec sibi nec aliis usui esse potest, sed ulti-
mam lineam rerum, mortem videl. πάντων φοβερῶν
φοβερῶτατον anxie expectat: ita & in mundo senio
nunc confecto ne ullum quidem sapientiæ pru-
dentiæq; Christianæ ζωπυργον nedum vestigium inve-
niri posse: Omnia n. sursum deorsum aguntur, o-
ptimi orbe exfulant, pessimi ubiq; gubernant, pii
premuntur, impii ad clavum reipubl. evehuntur,
boni mores sunt intermortui, sed mali tanquam
herba irrigua succreverunt uberrimè, ut Megaroni-
des senex ille Plautinus ait, imò

B

Aufu-



Aufugit pietas, candor pius exfulat orbe,
Et vaftrum in terris Momum agit omnis ho-
mo.

Tanta est impietas, si seclis secula confers,
Nostra Gomorrhæis deteriora vides.

Adeò ut non immeritò, cum martyre constan-
tissimo D. Polycarpo, Aquilæ divinæ sapientiæ
subtilissimæ D. Johannis discipulo, exclamare pos-
sis. O bone Deus, in quæ nos tempora reservasti!
Unde & ipsa creatura *συσεβάζεις ἡγὶ συνωδίνεις*, (verba sunt
Divi Pauli ponderosissima) atque diem extremum,
quem Deus Trinunus maturet, nobiscum expectat.
Tacebo quòd sicut homo, qui jamdum alterum
pedem habet in cymba Charontis phantasias habet
horribiles: ita & in mundo hoc immundo & de-
crepito phantasiarum Spiritualium, hæresium puta
messiem licere metere uberrimam & pessimam.

lib. 4. c. 8.

Sunt enim Machiavellistæ novi isti Basilidæi,
quorum Theologorum Plinius, Eusebius meminit,
qui quamvis religionem absq; scrupulo conscientie
arripiunt, quemvis Deum colunt, modò bonis suis,
si tamen bonorum nomine venire debent, quæ ut
minimè sunt *δυσωφαιστετα*, ita possessorem nullo mo-
do reddunt *ἀνταρκῆ*, uti & frui possint. Sunt novi Ar-
riani, Photinianos volebam dicere, qui odio plus-
quam Vatiniano adorandam Christi & Spir. S. Dei-
tatem prosequuntur. Sunt novi Chiliastæ, qui ne-
scio

scio quam felicitatem temporalem, sibi adhuc in
his tertis imaginantur. Sed Sabini, quod volunt,
somniaut, aliter Christus & Apost. de ultimis tem-
poribus, quæ maximè calamitosa futura prævide-
runt, docuerunt. Sunt novi Juliani, Apostatas pu-
ta, qui postquam semel à vera veræ Religionis via
secessionem fecerunt, eandem spurcis & fædis calu-
mniis collutulare nonquam non pergunt, semper
illud famosissimi Apostatæ, quod Sozom. refert, in-
geminantes, ἄδεν ὑπὲρ τὸ πῖσεισον τῆς ἡμετέρας Ἰσὶ σοφίας. *lib. 5. c. 18.*
Unum tantum, quod ferè palmarium tenet, vole-
bam ὡς ἐν πνεύματι attingere, quod scil. sicut homo so-
mno profundiori correpto, adeoq; quæ sopor apud
fratrem suum, ut Leontinus Gorgias amico cui-
dam à somno excitatus interroganti, respondit, jam *Ælian. l. 2.*
visus est deponere, ab altero voce vel strepitu per-
turbatus ac excitatus, omni vi ac robore fertur, in
eum, qui strepitum edit: ita & mundum, post-
quam à Luthero, organo illo Dei electo, scriptis &
voce è somno plus quàm Epimenidis hæresium est
excitatus, omni vi, robore, sapientia prudentiaq; in
ipsum Lutherum, cui potius gratias deberet im-
mortales, ejusque successores intrepidus invehit.
Quid enim in mundo nunc tritius ac vilius confi-
lio cujusdam de grege Calvi, hac in re Pontificiis
ὁμοψήφου, valvis templi Johannis Casimiri adscri-
pto;

B 2

O Ca-



Osiand. in
resp. ad
apolog.
Heidelp.
p. 65.

O Casimire potens servos expelle Lutheri,
Ense, rota, ponto, funibus, igne neca,

Nonne vicatim compitatimq; vox non homi-
ne sed beluis digna exauditur, Christianos seu Lu-
theranos tanquam *καταρματα & περιψήματα mundi, imò*

*calamitatum, bellorum, terra motuum, inundationum, disidio-
rum scandalorumq; autores, quo nomine & Ethnici*
Christianos primitivæ Ecclesiæ accusabant, ut te-
lib. 4. c. 13. stis satis locuples est Euseb. ad restim, ad furcam, ad
gladium, ad ignem esse adigendos. Vultis ne hu-
jus rei testes? Producam *περὶ ἑσυχον* Thaidis Romanæ
acerrimum Bellarminum, qui *hereticos, Lutheranos*
imprimis intelligunt isti homines, *pœna atq; ipsa etiam*
morte mulctari, affirmat. Producam Johannem Mal-
donatum, qui in commentario suo super Matth. in

lib. 3. de
Laicis c. 21
c. 13. p.
283.

hæc verba erumpit: *Qui hereticos (inquit) tollendos*
esse negant, multò magis fures, multò magis homicidas tollendos
esse negare debent. Et alibi, hereticos tanquam proditores &

tom. 2.
Comment.
Comment.
in Luc. 6.
9. p. 184.

transfugas comburendos suadet, imò nullam causam necis vel
belli justiore esse, quàm religionis propeffionem, eodem lo-

co ait. Producerem Costerum in apologia con-
tra Gomarrum, Lipsium in politicis & vel sexcen-

tos hujus fecis ac farinæ homines alios, nisi ipsa ex-
perientia, quæ non immeritò stultorum magistra,
à Pindaro audit, vera me, *heu nimis verà!* proferre, cla-
maret. Notius enim est, quàm ut multis decla-
rem, quid patrum memoria *in Belgis*, quid *Parissis*,
quid.



quid nostrâ in *Bobemia, Moravia aliisque locis* fiat, ubi vel
levissimam ob hæreseos suspicionem, imò sæpè
ob meram *Φιλαργεῖαν* animiq; offensi cupiditatem
explendam innocentes è medio cruento modo tol-
luntur. Hæc mecum

ὁ Φρῆστωτά με θυμός ἐνὶ στήθεσσι κελύει,
ruminans, ut Ecclesiæ militantis afflictum statum,
cujus finis

θεῶν ἐνὶ γήνασι κείται,
deplorare, ita de hac quæstione, *an videlicet, hæresi ob-*
noxii jure possint vi & gladio deleri, non potui non dicere.
Sed nescio, quis hîc mihi aures vellicans, insusurret,
in tène tanta est spes eloquentiæ, tanta eruditionis
copia, tantaq; ingenii dexteritas, ut de quæstione
hac, quæ vel Virum Eruditione, Eloquentiaque
πολλῶν ἀντιθέτων ἀδῶν exercere posset, differere non ve-
rearis? Tune domi te cohibere non potes, quum
tamen perspectum exploratumq; habeas, hunc lo-
cum nemini, nisi qui ea, quæ profert, calamistris Ci-
ceronianis, flosculis Salustianis & *κειμήλις* Plautinis
probè condire novit, concredi? Tune in publico
te exercere cupis, quî in privatis hæsitas, quum ta-
men semper sapientis habitum sit illud, nescio cujus,
λάθε βιώσας. Verùm enim verò, ut posterius assumo,
ita priora de me semotissima cupio. Quî enim ju-
venis seniores, discipulus præceptores, imperitus
peritissimos docere vellem, quum ipse instructione

A. Gell. lib.
lib. II. c. 2.
p. 489.

indigeam? Unicum me, ut ὅλως ἀπόλαυσθαι, cum Diogene Laërtio loquar, impulit, ut hoc vel Atlante dignum officium in me susciperem, nempe ut ingenium, ne inscitiae rubigine interficiatur, verba suut scriptoris noctium Atticarum solertissimi, exercitatione ab inertia & torpedine vindicem. Quapropter quum me huc sistat non φιλαυτία aut eruditio, quam in me valde exiguam imò penè nullam agnosco, sed veritatis indagandæ studium, à Vobis, Rector Magnifice, Viri admodum Reverendi, Excellent. Consultiss. Experient. Clarissimi, Præceptores multis nominibus colendi, teq; studiosorum corona erudita summa animi submissione peto, ac efflagito, ut mihi per semihorium non tam differenti quàm balbutienti vacivas ac elegantes, ut parens latinitalis loquitur, (lib. 9. epist. famil. epist. 19.) quò lætus portum attingere possim, præbeatis.

Vetus est πολυθεύλητον, eandem in mundo agi comoediam, mutatis tantum personis & temporibus; quod sicut de statu politico verum esse, quilibet, nisi qui in historiarum monumentis planè est hospes & peregrinus, facile videt, ita de Ecclesiastico vel verissimum esse, omnes uno ore fatentur.

Duplici enim via Diabolum μωροτεχνίτην illum scelestissimum piorumq; hostem ἀσπονδον ovile Dei charissimum aggressum esse, emunctioris naris homines

mines experientia edocti, notarunt, via nempe
fraudis & via persecutionis. Illâ lolium infelix in
Ecclesia disseminat, quô pios inficere allaborat:
hâc tyrannos excitat, & illos, quos veneno hære-
seos corrumpere non valet, gladio tollere adniti-
tur. Ut verò illos tanquam æternæ salutis fures
ac latrones cane pejus & angue fugiendos; ita hos,
qui in quemlibet alienæ religionis accusatum, gla-
diatorio animo animadvertunt, egregiè ὑπερ τὰ ἐ-
σκαμμένα πηδᾶν, imò Christiano nomini maculam
haud delebilem inurere, vel maximè censemus.
Animo tamen, Auditores colendi, ante omnia ve-
lim forti imbibatis, nos non ad castra Anabapti-
starum, quos animo detestamur, secedere, qui o-
mnem omninò vim gladii licèt legitimam magi-
stratibus derogant; neque etiam hæresi, quam
nunquam non tanquam Scyllam & Charybdim
animarum fugiendam, inculcamus, favere, sed
hoc tantum velle, ne quivis sibi in quemvis alienæ
religionis suspectum grassandi libertatem impunè
sumat & vindicet, adeoque tum lolium præterdit,
ipsum potius triticum averruncare & extirpare in-
tendat. Neq; enim, ut à definitione, quod in Ora-
tore,

Flos delibatus populi Suadæq; medulla,
Marcus Tullius requirit, & nostra proficiscatur
oratio, hæreticus statim est, qui à canonibus Ecclesiæ
Catho-

Farinacii
heretici
definitio
est falsa.

*Catholica dicitur, quod Farinacius, quem alii sequun-
tur Jesuvvitæ, quum in conscientia sua hæreseos sit
convictus atque ita causæ perditæ medelam initiò
adhibere studet, contendit, siquidem ipsa Ecclesia
ædificata super fundamentum Apostolorum &
Prophetarum, ipsa remittitur ad legem & Evange-
lium, ipsa juxta hanc regulam incedere debet, ad-
eoq; minime normæ & regula, ad quas doctrina quævis
sit expendenda, sed Normati & Regulati, ut cum phi-
losophis loquamur, nomine indigitari debet, præ-
sertim cum & falsissima nitatur hypothesi, quòd vi-
delicet colluvies Romanæ sedis cacolica, quam
Christi & Apostolorum doctrinam tanquam hære-
ticam exhibere, refutare, anathemate licet bruto
& non timendo ferire, luce meridiana, si temporis
ratio pateretur, clarius facere possemus, vera sit &
catholica Ecclesia, quod quidem liberaliter assu-
munt, sed ad Calendas Græcas probatum dabunt:*
*Verum hereticus, qui ab eligendo nomen est sortitus,
est persona intra gremium & pomeria domus Dei vivi constituta,
(aliorum ἀπερολογία, qui etiam ad paganos hoc no-
men extendunt non curamus) qua semel Spiritu Dei vi-
visco fuit illuminata, bonum Dei prepotentis verbum & virtu-
tes futuri seculi degustavit, propria tamen malitia, Diaboliq;
δὲ χαίροντος istius nefandissimi instinctu, à vero vera religionis
tramite deflectit, Christum Salvatorem denuò crucifigit, articu-
los fidei fundamentales vel unum vel omnes animò pertinaci im-
pugnat,*

vera he-
retici defi-
nitio.

*pugnat, dissensiones ac dissidia in Ecclesia parit, nec dicto meliora
docenti audientem se prabet.*

De ejusmodi ergò hæretico, qui ex lydio Sacrae
S. lapide erroris est convictus, controvertitur, an
sit flammis concremandus, quod Pontificiis, qui
non Spiritus atramentario, sed Saulis armamenta-
rario pugnant, placet, nobis verò,

quibus meliora Titan præcordia finxit,
vel maximè displicet. Prodeat enim, ut statim in
arcem ipsius causæ sine artificio invadam, aries for-
tissimus, qui non tantùm muros babilonicos è sti-
pulis confictos nullo negotio dejiciet, sed & no-
stram sententiam contra quosvis satanæ ejusq; satel-
litum insultus, salvam præbebit, scriptura videl sacra,
absque qua quicquid fit ac dicitur, quantum-
vis sit speciosa incrustatione obductum, tamen à re-
cto deerrat, peccato accensetur, nec DEO *καρδιογνώστη*
placere potest. In hac enim Scriptura sacra non
tantùm altum planè de hæreticis occidendis silen-
tium, (loquor verò de Novo fædere, aliter se rem
de Veteri habere, quidam haut diffitentur,) sed &
Christum *σώμα* illud veritatis, zizania, hæreticos puta,
eradicanda ministris minimè concedere, ne simul
triticum pios & religiosos extirpatum eant, novi-
mus. Adeò res est difficilis, imò cùm hæreses inter
nos esse oporteat, impossibilis & cum damno præ-
sentissimo conjuncta, homines erroribus obnoxios

*Ratio pro-
cedendi
cum hæreo-
ticis Esai-
vitica pec-
cat.
I. contra
scripturã.
Matth. 13.*

C aver-

averruncare velle, ut hæc sparta nulli nisi angelis
πνδύμασιν illis *λειτεργητικοῖς* commendari possit. Neque
enim ullius momenti est *κρησφύγετον* pontificiorum
stolidissimum, qui sub nomine zizaniorum, quos-
vis in moribus malos ac facinorosos intelligere vo-
lunt. Ut enim silentii peplo involvam, canitiem
illam venerandam, patres puto, à quorum autori-
tate discedere Pontificiis nefas erit, pro nostra sen-
tentia militare, tantum quaeso, prodeat Jesucida
quidam, aut alius aliquis de turba pontificiorum
rasa & calva, nobisq; locum monstret, ubi Christus,
quando regnum coelorum agro comparat, adeoq;
feminis mentionem injicit, non semen vivificum,
hoc est, doctrinam fidei, sed morum intelligat. Sti-
pes sum, nî magis hîc omnes muti erunt, quàm ra-
na Seriphia, quanta quanta etiam aliàs loquacitate
polleant! Aut saltem edisserat nobis, si vir est, cur
facinorosos, homicidas, adulteros (si sunt de Lai-
cis, ut loquuntur isti Vertumni, aliàs enim tota fe-
rè maleferiatorum & obesorū monachorum turba,
quæ tantum ventrem curat & in luto ac coeno o-
mnis libidinis instar suis immundi se volvit, esset
capite plectenda) è medio tollant, quum tamen
Christus, à cujus sententia ne latum quidem un-
guem discedendum esse, nemo, nisi qui ad ca-
stra Turcarum & Judæorum transivit, inficias
ire

ire poterit, hoc ipsum interdicat, adeoque velint nolint, si non volunt esse ἀλογαπαίεστοι, palinodiam canere, nostræque sententiæ suffragari cogentur, præsertim, quum Salvator noster verè φιλόανθρωπος discipulos, qui exemplum Eliæ prophetae zelo Dei flagrantissimi, imitari, ignemq; coelitus descendere jubere vellent, eo nomine non molli brachio objurgat, quod sui, qui venerit non ad perdendū sed salvandum discipuli essent, adeoque & hoc modo veterem veteris T. rigorem antiquatum ivit: *Nescitis, inquit, cuius Spiritus filii sitis?* Quid, auditores putatis, Christum si nostris his temporibus visibiliter adhuc in terris degeret, dicturum, si videret, AntiChristianam synagogam nil nisi sanguinem spirare & anhelare, ubiq; strues & rogos contra innocentes, vel eo tantum nomine quod Christiani sint, quod etiam Ethnicis in usu fuisse hinc inde apud Eusebium legimus, construi & comparari? Certè statim genios infernalium harum locustarum, non à Deo, qui vitæ conservator, sed homicidii authore ac suasore Diabolo regi, firmissimè concluderet? *Nepertentum illud & fatale generis humani malum,* qui continuis mortibus exhaust florem civitatis, qui fratrem, quo præterito in adoptionem Cæsarum irreperat, qui matrem, cujus beneficio non vitam solum sed & regnum acceperat, qui edu-

II. Contra
filiorum
Christi
naturam.
Luc. 9.

v. imprimis
lib. 5. c. 2.

catores suam illud sapientiæ & virtutis admirabile
exemplum, Senecam interfici iussit, qui deniq; nul-
lum scelus inausum atq; intentatum reliquit, *tamen*
oculis pepercit, & jubere supplicia fuit contentus, non spectavit.

Vos verò Jesucidæ & qui ex horum schola tan-
quam ex equo Trojano innumeri Nerones pro-
rumpitis, repetitis non tantum vocem illam non
homine sed pecude, nedum regnatore populi di-
gnam, Vitellii, dehonestamenti istius hominum:
optimum olere hostem occisum, melius Christianum, sed & spe-
ctata propriis oculis morte innocentium, cadaveri,
quod tamen ipsis Ethnicis nefas fuit, insultatis? O-
igitur sævitiam crudelem & crudelitatem sævam,
vel tauro Phalaridis & Busiridis ara dignissimam!
Itane Christum imitamini, qui Christi nomine gau-
gere videri vultis? Itane mansuetudini, principi illi
virtutum Christianarum, operam navatis sedulam!
Sed si vos scripturarum sacrarum autoritas, quam
aliàs absq; Ecclesiæ non pluris quàm fabulas Æso-
picas facitis, imò regulam Lesbiam, naseum cere-
um, ambidextrum & librum hæreticorum nomi-
natis, non movet, tantum in vireta historiarum pa-
rumper exspatiamini & praxin Ecclesiæ primitivæ,
III. contra praxin Ecclesiæ primitivæ. cum adhuc purum & illibatum virginitatis florem
gereret, evolvite & plusquam *quadringentis* post τὴν 78
2515 ἔσπασαν, annis, nusquam Orthodoxos adversus hæreticos,
verba:

verba sunt Erasmi, pontificij haud indocti, *presidium*
Cesarum implorasse, hereticos a. sapissimè, invenietis? Nus-
quam Christum δεξιποιμένα nostrum, nullibi Apostolos,
 qui utique Christi mandata exsecuti sunt aut cri-
 men infidelis servi, (quod de tantis viris mens hor-
 ret dicere) haud effugient, nonquam Imperatores,
Philippum Arabem, qui primus Imperator Christianus
 audit, *Constantinum, qui ob res præclarè gestas Ma-*
 gnus cognominatur, *Theodosium virum pientissi-*
 mum, hæreticis, quamvis θεομάχοις & blasphemis il-
 lis hæresiarchis bellum indixisse aut manus cruentas
 intulisse, legetis: Imò AntiChristi potius *ὡς τῆς ἀπο-*
λῆας τεκμήριον ἀναμφοισβήτην judicasse, quod alios futu-
 rus sit persecuturus. *Christus enim, inquit Theologo-*
 rum *Homerus Hieronymus, non venit, ut verberaret,*
sed ut verbera exciperet, alapam non dedit, sed accepit: nemi-
nem cruci affixit, sed ipse crucifixus fuit, non occidit, sed fuit oc-
cisus. Qui occiditur Christum imitatur, qui verò occidit, Anti-
Christum. Legimus quidem apud Nicephorum vo-
 cem auditu relatuque fædam: *Da mihi inquit, ὦ*
Imperator terram ab hæreticis liberam & puram, & ego tibi œ-
lum reddam. Tu mihi hæreticos exstirpa, & ego tibi Persis de-
lendis adero. Sed cujus? num Christiani & Ortho-
 doxi? minimè gentium, sed Nestorij hæresiarchæ
 famosissimi. Idem etiam de Turcis referunt hi-
 storiarum conditores, quod armis & vi suam reli-
 gionem propagare studeant. Videant ergò Jesu-
 cidæ,

IV. Con-
 tra Aposto-
 los &
 principes
 pios.

V. Est si-
 gnum An-
 tiChristi.

l. 14, c. 29.
 Nestorij
 petitio
 impia.

VI. Hære-
 tici &
 Turcis est
 propria.



VII. Papi
stis ipsis
contraria.

Historia
de Lydis
Asiae popu-
lis.

cidæ, qui ad eò sanguine illorum, quos Christus san-
guine suo, preciosissimo illo *λύτρω*, redimere, Spiri-
tus S. sanctificare, Tota Sancta & adoranda Trinuni-
tas inhabitare dignata est, delectantur, annon miri-
ficè cum hæreticis hoc in casu conspirent? Vide-
ant, annon à primitivæ Ecclesiæ consuetudine mul-
tis para sanguis, imò toto cœlo discedant? Vide-
ant, annon sibi ipsis gravio rem, cum Plauto loquor,
hyemem comparent, & pessimè, quando Neptu-
nus atrox ingruit, contradicent? Author est Hero-
dotus Lydos populos minoris Asiæ, fame aliquando
oppressos, miro usus esse remedio ad famem sedan-
dam, ita quidem, ut altera dierum in totum lusibus
occuparentur, ne videl. ciborum querendorum sol-
licitudine distorquerentur, altera verò à lusibus sibi
temperantes vescerentur, ut vires quodammodo
collapsas & attritas, recolligerent, atq; hoc modo
annos duodeviginti vixisse: Eodem planè modo
Jesuitas familicos istos ludiones ventrisque ac gulæ
servos in proscenio Ecclesiæ se gerere, vel ijs, qui
nondum ære lavantur, notum est. Uno enim die
nobiscum quasi ludere & panem porrigere, altero
verò sanguinem nostrum strenuè instar harpyiarum
inhiare & sitire adeoq; lapidem ostendere, ut Plau-
tissimè, videntur. Vultis ne Jesucidæ ut hoc probè?
Exeat communis vestræ causæ advocatus Guilhel-
mus

mus Alanus, qui gravissimè conqueritur, quod libertas docendi ipsis in Anglia non concedatur, *Solis*, inquit, *Catholicis in Anglia negatur religionis libertas*. Et fol. 247. laudat Arrianos Imperatores, qui naturali quadam benignitate inducti, *liberum Athanasio & ejus sectatoribus religionis exercitium concesserint*: imò hoc utilissimum fore contendit, ut Regina imitata germanos libera conscientia sacris uti permittat, ut sic *Reginam ejusq. Consiliarios precibus Deo tanquam Patronos commendent, quos nunc commemorent solum ut persecutores*. Prodeat fol. 396. Hofius scriptor Pontificius haud ignobilis, qui Anno 1568. apud magistratum Elbingensem in Borussia Regali literis intercedit, ut Pontificios vètres, quos Lutheranismò recepto, ejecissent, recipiant. *Liceat saltem in hac regia civitate, inquit, quod licet sub gravi Turcarum tyranno, ut Christus in Bethlehè natus liberè predicetur*. Et epistola 275. se hoc strenuè loco à Regia Majestate petivisse ait. Exeat, si plures vultis, Stapletonus, qui dominica de zizaniis aliquot argumentis probat, hæreticos non esse occidendos: imò vos ipsos Jesu vitas alloquor & rogo, vobiscum ut habitetis, annon omnes terrarum angulos & rimas, aridam & mare perreptatis, ut profelytum faciatis & *magnatibus miris modis liberum religionis exercitium commendatis, quò nidificare possitis, tametsi longè aliud teneatis alta mente repositum, quos hypocrytas, Acheronte dignos, censet ille,*

à quo



à quo ceu fonte perenni
Vatum Castaliis ora rigantur aquis,
inquiens :

ἐχθρὸς γὰρ μοι κῆρ. Ὅμως αἰίδαο πύλησιν,
ὅς χ' ἔτεργν μὲν κούδει ἐνὶ Φρεσίν, ἄλλο δὲ βάζει.

Videte igitur, auditores, non tantum egregiam Pontificiorum consonantiam, quam Colsterus nullibi non voce plusquam Stentorea commendat, sed & Polypos hos à nobis aliquid, quando ipsis novercantis fortunæ Boreas insultat, petere, quod nunquam aura leniori utentes concedant, imò verbis & verberibus ejusmodi quid petentes, abigant.

VIII. Plu-
rima in
commoda
alit.

Hæc licet tanta sint, ut vel eum, qui æstriplex circa pectus habet, à crudelitate revocare queant, accedit tamen & non inferiori loco habenda est, *detestanda incommodorum mephitis*, quam tyrannico hic processus exhalat, & ut Cæcias nubes nonquam non comitem habet individuum. Solon Atheniensium νομοθέτης clarissimus, *premio & pœna* tanquam duobus firmissimis fulcimentis *republicam contineri dixit*. Sed quis non videt, hocce puniendi modo non tantum republ. facile deleri, sed & januam ad salutem æternam perveniendi multis præcludi? Plurimi enim non in ætatis juvenilis flore, sed in senectutis fece in vineam domini emittuntur, teste experientia & Christo, omni exceptione majore.

Si

Si papistico novo isto & antehac in Ecclesia inaudito modo est procedendum, quis à falso Monachorum otiosorum, quibus nihil est stultius neque stolidius, neq; mendaciloquius, neq; argutum magis, neque confidentiloquius neq; perjurius, ut Attica Venus de scurris in Trin. loquitur, rumore erit insons, de quo & Erasmus conqueritur, & ipsorum disputandi rationem brutam adnotat, *quod nempe notentur articuli & parentur fasciculi.* Si Jesuitico more est procedendum, quis à manibus Euclionis avaritutus erit? nam

quid non mortalia pectora cogit
Auri sacra fames.

IX. *Omni
nequitia
fenestram
patrefacit.*

Virgil. l. 3.
Æned.
Quales
sint Inqui-
sitores?

Si ita sunt corripiendi errantes, quis tutus erit à Nigromanticis, Falsarijs & fædissimis omnium Sodomitibus, quales plerosq; depræhensos esse, qui sub prætextu zeli religionis Christianæ officium Saticæ inquisitionis exercuere, testis est, ne me fidem fluxam gerere putetis, Alphonsus Conradus, patria Mantuanus. Imò si hoc modo esset in hæreticos animadvertendum, utique & Divus Augustinus, ille Ecclesiæ antisthes sanctissimus, quin & ipse Paulus, qui tamen cum reliquis apostolis facile de palma ambigua laboris & spiritus certat, fuissent ante conversionem extinguendi. O igitur immanitatem plusquam Neronicam, quæ nos tantis Evangelij

inc. 9.
Apocal.

X. Nature
Christiani
est inimi-
cus.

gelij luminibus privasset? O petulantiam & tyran-
nidem, quæ ut omni nequitia, avaritiæ invidiæque
ambas patefacit fenestras, ita hominibus viam sal-
vandi præscindit, imò ex Christianis facit hypocri-
tas, qui aliud dicunt, aliud cogitant, quos Christus
veniens judicare evomet. *Nihil n. tam voluntarium est,*
quam religio, in qua si animus est aversus, jam sublatæ, jam nulla
est. Quis igitur imponet mihi necessitatem creden-
di, *quo ÷ nolim, vel quod velim non credendi?* inquit Theo-
logorum Phoenix Lactantius. Tot igitur & tantos
incommodatum, absurditatum & nequitiarum
montes, cum secum trahat Jesuitica cum hæreticis
procedendi ratio, quis adeò omnem humanitatem
exfuit, quis adeò ab omni veritate, pietate & æqui-
tate est alienus, quis, inquam, adeò in bestiam dege-
neravit, ut videns in luce meridiana caligare & hanc
rationem brutam laudare velit? Humanius certè
Ethnici, quorum mentes non illustrabat Fides, non
dirigebat Charitas, non gloria unius Dei, quæ su-
prema lex est & norma laudandarum actionum, e-
gerunt, qui nihil homini judicarunt convenientius,
nihil decentius nihilque laudabilius, quàm Civem
nedum Christianum servare,

XI. Chri-
stianum
infra sor-
tem Eth-
nici de-
jicit.

Conveniens homini est, (*inquit poëta ingeniosissimus,*)

hominem servare voluptas.

Et meliùs nulla quæritur arte favor.

Sic

Sic etiam rex regum Agamemnon

βυλοι ἐγὼ λαὸν σὸν ἔμμεναι ἢ δ' ὀπλιῶν

inquit, & iudicio coryphæi poëtarum Homeri è numero civium est eyciendus, imò ex finibus humanæ naturæ exterminandus, tanquam monstrum, quod lustrari solet, & in ultimas terrarum oras transportari, quem bellum, quem Cyclopicæ sanguinis effusiones delectant,

*αὐφρητῶν, ἀθέμιστος, ἀνέσιός τ' εἶν' ἐκείνῳ
ὅσ' πολέμῳ ἔραται.*

Sed, inquiunt isti, qui cum pessimo optimi Parentis non filio sed apostemate Caligula, *nos omnes u-*
nam cervicem habere, in votis optatisq; unicè habent, nonne lupos, fures, latrones è medio tollere licet, quidni & illos, qui non solum corpori, sed & animæ, particulæ illi divinæ *πανολεθρῶν* inferunt, præsertim cum Deus ipse graviter & modo violento in prophetam falsa somniantem, populumq; à vero Deo abducentem, animadvertere velit. Verùm enim verò, demus Papistis ex liberalitate, quod minimè dandum novimus, Lernam istam omnis mali, Romanam videl. colluviem esse populum Dei *αἰεζῶν,* cui hæc in hæreticos statuenda, commissa sint: Demus & hoc, graviùs peccare hæreticos in Ecclesiam, quàm fures, latrones & omnium bipedum nequissimos, qui tamen ad eò *τῆς διανοίας ἀρεσῆς* laborat, ut

*Objectio-
nes due
primarie.*



non videat, quum arma nostræ militiæ sint spiritu-
alia, fures etiam spirituales spirituali modo esse tra-
ctandos? Hominem hæreticum, inquit ille, qui in
tertio cœlo *ῥήματα ἀπὸ τοῦ* audivit, devota & adhortare.
Idem etiam Hymenæum, Philetum & alios Diabo-
lo tradidit & excommunicavit, nullibi v. occiden-
dos suavit. A rigore verò V. T. cum præsertim hi
loci de expressè blasphemis, publicam pacem tur-
bantibus ac seditiosis loquantur, quos ex Constitu-
tione Imperii Carolina cap. 106, Et ex ordinatione
Rupolphi An. 1577. tollendos, non negamus, ad N.
T. quod pacis foedus dicitur, argumentari, est à ba-
culo ad angulum. Cur n. circumcisionem, quæ
foedus æternum Gen. 17. à Deo ipso nominatur, cur
pascha, aliasq; ceremonias Levit. non observant, si
in his adeò rigidi esse volunt. Christus hæc antiqua-
vit, nullibi mandavit. Sumus a, nos discipuli non Mo-
sis, qui damnat, sed Christi, qui servat: non E-
liæ, qui igne & ferro perdit, sed Messias, qui miseros
Evangelij verbo quærit & erigit. Imò si tanto ar-
dore puræ religionis tenentur, cur validas suas vires
in Christi viscera & non potius in juratum Christia-
ni nominis hostem, Judæos, quos ob avaritiam
libenter tolerant, privilegijs & immunitatibus or-
nant, etsi quotidie imò singulis momentis Christi
nomen adorandum calumniis & convitijs proscin-
dant.

*Hic datur
materies
combustionis
ita se vivere
placet.*

dant & conspurcentur, convertunt? Hic enim est
seges & materies uberrimæ laudis; hic

ασπονδον πόλεμον πολεμίζεν ἢ δὲ μαχέσθ,

gloria erit; hic in omnem eventum, campus ad sem-
piternam gloriam patet. Sed scio, quid hos urat,
scio unde istæ lacrumę Jesuitarum, hoc videl. agunt,
ut Lutheranis deletis omnia possint agere pro arbi-
trio, leges figere & refigere, regna dare & auferre,
articulos fidei cudere & recudere, imò absq; omni-
um contradictione vel sexcentas animas secum in
barathrum infernalis ignis præcipitare, & illud Py-
thagoricum *ἅντὸς ἔφα* omnibus obtrudere;

*Cur Lu-
theranos
imprimis
expellant?*

ἦ κεν γηθήσαι πρὶ αὐτῶν πρῆλαιό τε πᾶσιδες

Hoc Ithacus velit & magno mercentur Atridæ,

Sed videant isti, qui ita instar Niobes planè in la-
pides obriguerunt, & cum Arcadiæ populis, quo-
rum princeps ingenij & doctrinæ Divinus Plato
meminit, in lupos, sanguinem tantum sitientes,
transformati sunt, quid aliquando Christo, ratio-
nem sanguinis effusi animarumq; perditarum po-
scenti, respondere velint.

Videant, quam rationem pijs, quos ut hæreticos
persecuti sunt, cum tamen aliis in conscientia sint
convicti, reddituri sint? Videant, quid Monarchis,
quid Regibus & Principibus, quos in suam senten-
tiam contra sanguinem innocentem attraxerunt,

D 3,

sint

sint reposituri? Videant. Sed quid? Ut ut enim ipsos ex sacris convincamus, convictos ad palinodiam, quæ à falsa religione laudi ducitur, invitemus, invitatos & repugnantes Deo tradamus, tamen vitam vix emendabunt, sed *ἀποστάσει* permanebunt. Nos potius Deo Triuni gratias agamus immortales, qui nos non tantum à jugo Mosaico, quod neque nos neque patres nostri ferendo eramus, per filii *μονογενῆς* adventum: sed & à tenebris papistarum abominationum plusquam Ægyptiacis per Lutherum liberans, in veram libertatem Christianam, in qua *ἀμετακίνητοι* contra quosvis hæreticorum & tyrannorum insultus, usque ad extremum vitæ halitum stemus, vindicavit. Dixi.



*Humanissimo Viro Dn. M. Jacobo VVellero,
amico suo Pylades, publicè peroranti.*

Quod, VVellere, volunt rafa de gente Luperci,
E medio ut possint tollere Christicolas.
Id tuus è celsa conspersus sermo cathedrâ
Floribus Elysii sat docet, atq; probat.
Perge gregis monstres crudelia facta nefandi,
Sic tua, quam grator, fama perennis erit.

*M. Matthæus Grosser/ Liebstad. Misn. Ampl.
Coll. Phil. Adjunctus.*

Ardua

A Rdua profligas dum tu, *V*ellere, probando
*V*era, Sophistarum dogmata falsa potens.
*A*pprobo conatus, precor ac industrius auctor
*H*ereticos olim vi meliore fugas.
*H*oc Deus, hoc homines laudabunt, cum benè
docto
*I*ngenio fructus haud facis exiguos.

Populari suo perdilecto. f.

JOHANNES HOFFMAN
Plav. Variscus.

F I N I S.





Vb 17

ULB Halle


3

002 673 282



TA → OL







26

VI
QUÆSTIO
Theologo · Politicæ,

An

HÆRETICUS IGNI ET FERRO SIT MANCIPANDUS.

*Methodo Oratoria conscripta, ac publicè in
cœnegamejo, quod est Wittebergæ, majori,
recitata,*

à
M. JACOBO VVELLERO
Neukirchensi Varisco, S.S. Theol. Stud.

D. 6. Octobr. Anno 215070viac
cio lo CXXVIII.



WITTEBERGÆ,
Typis AUGUSTI BORECK Acad. Typogr.

